

sionem emendicarent; sed statim à discessione suâ, munus prædicandi, et populos regendi sibi sumpserunt, ergo 1<sup>o</sup>. ordinariam missionem non habere Ecclesiarum Protestantium Pastores.

2<sup>o</sup>. Nec extraordinariam, sive à Deo immediate profectum. Nemo enim ita stupidus est, ut crediderit aliquem insolitam missionem eo ipso habere, quòd illam sibi arroget: *Nemo*, inquit *Tertullianus*, *veniens ex alterius autoritate, ipse eam sibi ex suâ affirmatione defendit.* ( *Lib. 3. adversus Marcionem: cap. 2. pag. 477. Edit. poster. Rigalt.* ) Alioqui cuilibet venienti, et se à Deo missum asserenti fides adhibenda esset; quo nihil absurdius est. Idem doctor de quibusdam Hæreticis hæc habet: *Ostendant mihi ex quâ autoritate prodierunt. . . . probent se novos Apostolos esse:* ( *Lib. de præscript. cap. 30.* ) Deinde ab iis postulat, ut virtutibus sive miraculis divinitus se missos testentur: *Volo igitur eorum virtutes proferri. Sic enim Deus, inquit, Apostolos solet facere, dare illis virtutem eadem signa edendi, quæ et ipse.* ( *Pag. 242.* ) Si ergo divinam missionem sibi vindicent Protestantium duces, eam manifestis probent miraculis necesse est: quò major enim est potestas, quam aliquis à Deo sibi datam jactitat, eò clarior et expressior esse debet divinæ voluntatis declaratio: porro nulla major esse potest autoritas, eâ quam sibi collatam gloriantur Protestantes, nempe Ecclesiæ tùm existentis faciem immutandi, antiqua Decreta Conciliorum, etiam generalium, rescindendi, etc.

Atqui nullum miraculum proferunt; nisi fortè instar miraculi habeant suæ doctrinæ diffusionem, quæ ubi primùm cœpit prædicari, inquit Protestantes, animos undequaque pervasit imbuitque: atqui hæc propagatio verum non est miraculum; nonne longè latèque patuit Arianorum et Mahometanorum doctrina? atqui tamen neutra, fatentibus Pseudo-Reformatis, divina fuit. Præterea absque

miraculis fieri potest, ut ingens hominum multitudo eam doctrinam avidè arripiat, quæ libidini-bus favet; atqui talis est Protestantium doctrina; siquidem procul rejicit quidquid in legibus Ecclesiæ durum, cupiditatique ingratum erat; qualia sunt jejunium, cœlibatus, abstinentia à carnibus, confessionis necessitas, etc. ergo nullis miraculis sibi fidem faciunt, nec proinde missionem extraordinariam sibi possunt attribuire; aliundè nec ordinariam; ergo nullam habent, ac proinde sunt verè Schismatici.

#### Solvuntur objecta.

Objicies. 1<sup>o</sup>. Ecclesiam non deseruerunt, sed ab eâ ejecti sunt Protestantes; ipsos enim priùs excommunicavit Leo X, quam in Concilio generali, ad quod appellaverant, quidquam expenderetur; totque insectationes totam per Europam adversus Reformatos excitavit Ecclesia Romana, ut ipsos ab eâ recedere compulerit; ergo non sunt Schismatici.

Resp. Neg. ant. Cùm enim debuissent Leonis X. Ecclesiæ capitis, judicio ex debitâ reverentiâ primùm obsequi, aut saltem excommunicationem, licet in eorum mente injustam, patienter tolerare; contrâ aperto Schismate rebellârunt, nec expectatâ Concilii generalis, ad quod provocaverant, celebratione, ministerium usurpârunt, altare contra altare erigentes, nostramque communionem detestantes; cùm enim cœperit anno 1545 Synodus Tridentina, jam ab anno 1536 Calvinus fuerat Ecclesiæ Genevensis Minister institutus; et ab anno 1524 unitatis impatiens Zuinglius, fecerat discessionem, sanctas Imagines et Reliquias sustulerat, Missam abrogaverat, jejunium quadagesimale interdixerat, etc. Lutherus jam ab anno 1523 novam instituit Liturgiam, tanquam Legislator supremus, cæremonias, ritus, disciplinam,

omnia ad arbitrium suum immutans et subvertens: quoad vexationes, si quæ fuerint, Schisma Protestantium non præcessere, sed subsequente sunt, et proinde illius causa non existere.

Obj. 2°. Licitum est Ecclesiam corruptam deserere: atqui Ecclesia Romana, tum in moribus, tum in doctrina, corrupta erat; et maxime propter suam in imaginum et hostiæ cultu idololatriam; ergo eam deserere licitum fuit.

Resp. 1°. Neg. maj. Nam Donatistæ, ut suam ab Ecclesia Catholica discessionem legitimam fuisse probarent, hanc ideò factam aiebant, quòd Catholicos, non jam inter Christianos, sed inter Paganos et Infideles reputandi essent: atqui eos nihilominus hoc effato semper urgebat Augustinus: *prescindendæ unitatis nulla est justa necessitas; (Lib. 2. contra Epist. Parmeniani, cap. 11. tom. 9 pag. 42.)* id etiam variis probat figuris quibus Ecclesiam adumbrant Scripturæ: *Neque enim propter paleam relinquimus aream Domini; neque propter malos pisces rumpimus retia Domini; neque propter hædos in fine segregandos deserimus gregem Domini; neque propter vasa facta in contumeliam, migramus de domo Domini. (Epist. 93. aliàs 48. cap. 12. tom. 2. pag. 252.)* Ergo dum ruptam à se unitatem hic fatentur Protestantes, reos Schismatis sese declarant.

Resp. 2°. Neg. min. 1°. Quia, ut Ecclesiam Romanam in moribus corruptam esse probent Pseudo-Reformati, ostendant necesse est, hanc morum corruptelam ab eâ approbari, defendi, suaderi: in Ecclesiam enim non redundat, nec refundenda est morum pravitas, quam prohibet et damnat. 2°. Quia Romanam Ecclesiam invertecundè calumniatur, dum eam idololatriæ accusant: etenim Sanctos non adorant, sed venerantur, ut Dei amicos; non adorant species Eucharisticas, sed Christum sub sacris illis symbolis latitantem, etc. quæ omnia tam perspicuè à Catholicis, tamque

frequenter exposita sunt, ut adversarios pudere debeat, tam falsas criminationes recoquere.

Obj. 3°. Si rei fuissent Protestantes, maxime quòd Ecclesiæ judicium non expectaverint, què sua doctrinæ, moribus, et disciplinæ restitueretur integritas: atqui, in hoc non peccarunt: nam promptum malo remedium adhiberi debet, ne vires intereà acquirat error; difficile autem est statim congregari Concilium. Deinde nullus erat iudex, ad quem provocare potuissent: quis enim ille fuisset? An Ecclesia Romana? at ipsa accusabatur; nemo autem in propria causa iudex esse potest.

Resp. Neg. min. Quoad primam ejus probationem; si non expectato iudicio, liceat sub erroris effugiendi obtentu, Ecclesiam Dei lacerare, ejusque unitatem violare, nullus erit qui eandem non possit rationem asserere, ut privatam deserat societatem, et antiquam deserat; nec quidquam superest, quo separationis ejus injustitia demonstrari queat: atqui absurdum est principium, ex quo tam grande nascitur incommodum: nec deest promptum contra gliscentem errorem remedium, si statim Concilium generale celebrari nequeat. Adest scilicet Summi Pontificis tribunal, cujus iudicio plurima debetur reverentia: non nisi enim injustè Ecclesiæ capiti auctoritatem denegare possunt adversarii, quam *Consistoriis* suis, vel *colloquiis* tribuunt: atqui docent validam, legitimamque esse sententiam suo in *Consistorio* vel *colloquio* latam, usque ad iudicium definitivum, non obstante iudicum rejectione, et interposita appellatione. Quoad secundam probationem, quæro ab adversariis, quam ad Ecclesiam confugiant, cum in eorum societate aliqua exoritur dissensio; nonne ad propriam suam Ecclesiam recurrunt? pariter igitur à societate, in quâ tunc versabantur, iudicium expectare debuerunt.

Inst. Saltem ubi est subversionis periculum,

licet unitatem deserere, ut propriæ saluti consulatur: atqui in Ecclesia Romana erat subversionis periculum; ergo eam merito deseruerunt Protestantium duces.

Resp. Neg. maj. Etiam si in Ecclesia Romana fuisset subversionis periculum, quod absit ut fateamur, ab ea recedendo unitatem violare non licitum fuit. Id contra Donatistas probat Augustinus exemplis Aaronis, Moysis, Samuelis, Isaïæ, Jeremiæ, Zachariæ, etc. ( *T. 2. p. 98 et 99.* ) Ii scilicet Prophetæ quamvis inter divinæ legis contemptores et idololatrias viverent, nunquam unitatem deseruerunt, privatas instituendo Ecclesias. Ratio est, quod propter erroris, vel alterius cujuslibet peccati periculum, non eligendum sit malum certum omniumque maximum, quale est Schisma in quo nulla esse potest salus. Id unum à nobis postulat Deus, ut pravos mores improbemus, nec imitemur; utque perversos homines, quantum fieri potest, verbis et operibus ad meliora revocemus.

Obj. 4°. Illi missione non caruerunt, qui eam à populis accepere, quibus Evangelium annuntiarent: atqui primi Protestantium Pastores missionem suam à populis, etc. Si enim populi nullam Regem habentes, aliquem sibi præficere valeant, quidni pariter Pastores quibus indigent sibi eligere et constituere poterunt? ergo, etc.

Resp. Neg. min. et parit. Regem quippe eligendi facultas populis jure naturali competit; non verò Pastores sibi constituendi potestas; cum enim ministerium Ecclesiasticum sit ordinis *supernaturalis*, sicut et finis propter quem institutum fuit, nempe vita æterna, Ministros et Pastores creandi facultas jure naturali ad neminem pertinet; sed tantum jure divino ad eos, quibus à Deo concessa est: atqui Ministros ordinandi et instituendi facultatem populus à Deo non accepit, sed ipsimet Episcopi verà missione instructi; ergo, etc.

Obj. 5°.

Obj. 5°. Lutherus et multi è Reformatorebus Sacerdotes fuerunt in Ecclesia Romana consecrati; ergo missionem habuerunt ordinariam.

Resp. Quam Protestantibus contulerat Ministerii autoritatem, hanc ipsis auferre potuit, et reipsa abstulit Ecclesia, dum eos anathemate percussit. Præterea etiam si consideremus Lutherum et alios quosdam, missionem retinuisse quam ab Ecclesia Romana acceperant, eam non potuissent suos ad successores transmittere. Sacerdotes enim tantum fuerunt; at Præsbyteri non possunt alios Præsbyteros consecrare, vel Ecclesiæ Ministros instituere. Jus quippe illud solis proprium esse Episcopis demonstratur in Tractatu de Ordine.

Obj. 6°. Ad veritatem annuntiandam nulla requiritur missio; jus enim illud quisque habet, siquidem Deus mandavit unicuique de proximo suo; ( *Eccli. 17. 12.* ) ergo missione non indigebant primi Reformatores.

Resp. Dist. ant. Veritatem annuntiandi quisque jus habet ex officio caritatis, conc. ut Pastor et Minister Ecclesiæ, neg.

Id fateantur ipsi Protestantes necesse est: alioqui Ministros immerito instituerent, cum inter eos quisque posset Ecclesiæ ministerium sibi vindicare: atqui tamen id ipsi non patiuntur, et quidem merito; si enim Pastoris et Ministri munus sibi quisque arrogaret, quanta inde nasceretur perturbatio!

Obj. 7°. Quo tempore à Deo suscitati sunt Protestantium duces, tanta erat Ecclesiæ, sive in moribus, sive in fide, corruptela, ut illius reformationem suscipere, non expectatâ missione, probi quilibet et docti potuerint et debuerint; ergo, etc.

Resp. Neg. ant. Hujusmodi enim ratiocinium; Hæresibus et Schismati viam aperit latissimam. Facile enim sibi persuadebit quisque fanaticus, ita in fide et moribus corruptam esse Ecclesiam, ut

illius emendationem aggredi, et Ecclesiæ gubernacula invadere debeat. Si tantam morum et fidei corruptelam deprehenderunt Protestantes, legitimos Ecclesiæ in quâ versabantur Pastores admonere debuissent, non verò ipsius communionem deserere. Ubi quædam gravis momenti vitia in ipsorum societatem irrepunt, ut iis adhibeatur remedium, nonne ad propriam suam Ecclesiam confugiunt? Morum reformationem acriter urgebant veteres Prophetæ; sed nova non erigebant altaria. Cur eorum agendi rationem non imitati sunt Protestantes?

Obj. 8<sup>o</sup>. Frumencius et Edesus, quamvis laici, quamvis missione destituti, verbi ministerio Indos ad fidem Christianam adduxere. Iberi, docente feminâ, Christo nomen dederunt, ut refert Theodoretus. (*Lib. 1. Histor. Eccl. cap. 23.*) ergo, etc.

Resp. iis exemplis non confirmari, sed everti nova Protestantium placita. Frumencius enim et Edesus Indis, femina Iberis fidem Christianam, tanquam privati, exposuerunt. Qua in re nihil est reprehendendum, imo nihil nisi laudandum: namque ex officio caritatis potest et debet unusquisque, quantum in se est, errantes in viam revocare, et homines ab idololatriæ tenebris ad fidei lucem traducere.

Namquid vero sancti illi viri Pastorem auctoritatem sibi arrogarunt? Numquid segregatas societates instituerunt? Nequaquam. Frumencius enim S. Athanasium adiit ab eoque Ministros postulavit, qui nascentem Indorum Ecclesiam regerent, et ipse ad munus illud obeundum consecratus est Presbyter. Iberi pariter ad Imperatorem Constantinum legatos miserunt, qui ab eo Sacerdotes et Episcopos obtinerent. Probant igitur hæc exempla ad regendam Ecclesiam necessarios esse Pastores, qui non à populo tantum eligantur, verum qui ab Ecclesia consecrati missique fuerint: longe autem aliter sentiunt et docent Protestantes.

## PROPOSITIO I.

*Unitas non convenit Orientalium societatibus ab Ecclesia Catholico-Romana separatis.*

Prob. Societates Orientalium, vel sunt Nestorianorum et Eutichianorum, vel Græcorum qui Photii et Cæularii schisma secuti sunt, et Patriarchæ Constantinopolitano præsertim subjiuntur: atqui nulli ex illis societatibus convenit Ecclesiæ unitas. Non quidem Nestorianis et Eutichianis; jam enim ante flebile Græcorum schisma, ab Ecclesiæ corpore, Conciliorum generalium iudicio resectæ sunt, ob suam in Hæresi pertinaciam.

Non etiam societati Græcorum: illi enim violatæ unitatis proprio iudicio convincuntur, qui suam ante separationem, Romani Pontificis primatum agnoverunt, et deinde ab eo, Romanaque Ecclesia sine causa desciverunt: atqui utrumque de Græcis certum est.

Primum quidem facile patet ex Conciliis generalibus, quæ Græcorum separationem præcessere: in iis enim, vel præsides fuere Romani Pontificis Legati, vel saltem eorum celebrationi consensere Romani Pontifices, vel acta ad se per lata sua confirmatione roborarunt, videntibus, nec reclamantibus Græcis; quinimo Romanæ Sedis primatum agnovit ipse Photius, qui prima mali labe fuit: sancto enim Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano, per vim et calumniam in exilium acto subrogatus, nihil omisit ut à Nicolao I iusta hæc electio confirmaretur, sicque videretur Romano Pontifici conjunctus; etiam post infamia annorum 857 et 860 Conciliabula, in quibus Nicolaum I excommunicare ausus est, ab Imperatore Basilio expulsus, et ab eodem post Ignatii mortem restitutus, à Joanne VIII petiit, obtinuitque suæ restitutionis approbationem; atqui hæc

omnia satis probant Romani Pontificis primatum, à Græcis et ipso Photio, primo illo Schismatis auctore, admissum fuisse.

Secundum etiam certum est, nempe Græcos sine causis legitimis, suam cum Ecclesia latina communionem deseruisse: Photius enim, et post ipsum Græci, nihil nisi vel levissima, vel calumniosa, vel laudabilia objecere: nam 1°. Latinis vitio vertebat Photius, quod Sabbato jejunarent; quod Clerici barbam raderent, quod octo Hebdomadas à carnibus ante Pascha, non abstinerent; quod cum azymo pane Eucharistiam conficerent: atqui ridiculum est ob res hujusmodi levissimas, ad meramque disciplinam pertinentes, Schisma, quo nullum majus est malum, facere; præsertim, cum teste Augustino, rescindendæ unitatis nulla unquam justa sit necessitas. 2°. Latinis crimini dabat, quod pro Chrismate, aqua uterentur; quod in Pascha, cum Christi corpore, agnum de grege offerrent in Altari: atqui hæc à vero prorsus abhorrent, atrocesque sunt calumniæ. 3°. Latinos incusabat, quod Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere crederent; quod continentiam Sacerdotibus imperarent: atqui hæc valde laudabilia sunt; ergo Græci non nisi res, vel futiles, vel calumniosas, vel laudabiles Latinis objecerunt, ac proinde sine causa ab iis recessere.

Præterea illi temere Ecclesiæ unitatem violaverunt, quorum agendi ratio adversus Ecclesiam Romanam, in Conciliis generalibus, quibus adfuerunt, reprobata est ut Schismatica: atqui res ita se habet, ut patet, tum ex Concilio octavo œcumenico ann. 869 sub Adriano II, ubi adversus Photium, tanquam schismaticum, pronunciatum est anathema, eaque confirmata sunt, quæ in eum Synodi Romanæ ante decreverant; tum ex Concilio secundo Lugdunensi anno 1274, in quo definitum est, Spiritum Sanctum à Patre et Filio

procedere; tum ex Concilio Florentino anno 1438, cui interfuere Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Basilius Hierosolymitanus, Vicarii sive Procuratores Patriarcharum Alexandrini et Antiocheni, multique tam Metropolitanus, quam Episcopi, cum Imperatore Joanne Palæologo. Ibi autem definitum est, ex omnium consensu, si solum excipias Marcum Ephesinum, illas voces, *Filioque*, licite meritoque fuisse Symbolo appositus, Eucharistiam posse in azymo, vel fermentato pane consecrari, Romanoque Pontifici in universali Ecclesia primatum competere; proprio igitur suo judicio ruptæ unitatis convincitur Græcorum societas.

#### PROPOSITIO V.

*Ecclesia Catholico-Romana eam habet unitatem, quæ veræ Ecclesiæ est nota, illiusque unitatis centrum visibile in Cathedra Petri et summi Pontificis hujus successoris situm est.*

Prob. 1<sup>a</sup>. pars. Illa societas unitatem sibi merito vindicat, quæ ab antiquiori Ecclesiâ se nunquam sejunxit, qui eandem habet fidei professionem, eorundem Sacramentorum usum, eandem cum Romani Pontificis Cathedra, in qua situm est unitatis centrum, conjunctionem: atqui hæc quatuor Ecclesiæ Catholico-Romanæ conveniunt. 1°. Quidam ab antiquiori Ecclesia se nunquam segregavit; quinimo ex ea, veluti rami ex trunco, prodierunt sectæ omnes quæ Christiano nomine gloriantur, ut constat ex certis historiæ monumentis; 2°. eandem profitetur fidem. Hæc enim non ex privatis Doctorum placitis, verum ex publicis Symbolis et fidei regulâ æstimanda est: atqui omnes Catholici Romani idem Symbolum agnoscunt, eandemque fidei regulam, nimirum *infallibile* universalis Ecclesiæ judicium; 3°. eorundem est

Sacramentorum communio, quibus in celebrandis occurrit quidem aliqua rituum diversitas; in iis vero quæ ad Sacramentorum substantiam pertinent, nulla est varietas; 4<sup>o</sup>. tandem Catholici omnes cum Romano Pontifice conjuncti sunt, quem ut totius Ecclesiæ caput venerantur; ergo, etc.

Prob. 2<sup>a</sup>. pars. 1<sup>o</sup>. Quia Ecclesiam suam ita Christus instituit, ut ipso in Cælum sese recipiente, vices ipsius in terris, tanquam supremus Ecclesiæ Pastor, gereret Petrus, et Petro morienti succederet alius, et illi alius, et sic deinceps, ad finem usque mundi. 2<sup>o</sup>. Quia in Cathedra Petri, Summi que Pontificis illius successoris, Christique in terris Vicarii centrum unitatis Ecclesiasticæ reposuit tota Traditio. *Ad hanc Ecclesiam*, (Romanam) inquit sanctus Irenæus, *propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles.* (Lib. 3. *adversus Hæres. cap. 3. Edit. D. Massuet.*) *Super unum istum (Petrum) ait sanctus Cyprianus, adificat Ecclesiam suam (Christus) ..... ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua autoritate disposuit.* (Lib. de unitate Eccles. Edit. Baluz. pag. 195.) Unde concludit sanctus Doctor, *eum qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse nequicquam confidere.* S. Optatus Milevitanus Parmenianum sic alloquitur: *Negare non potes in urbe Roma primam Cathedram Episcopalem collatam ..... in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur.* (Lib. 2. *contra Parmenianum, Edit. Dupin. cap. 2. pag. 28.*) Sanctus Hieronymus, *inter duodecim*, inquit, *unus eligitur, ut capite constituto, Schismatis tollatur occasio.* (Lib. 1. *adversus Jovinianum, Edit. D. Martianay. tom. 4. part. 2. pag. 168.*) Ex Patribus igitur constat, unitatis Ecclesiasticæ centrum visibile in Sede Apostolica Petri, Summorumque Pontificum ipsius successorum,

esse constitutum. Per suam autem cum illo centro communi conjunctionem, omnes Ecclesiæ Catholicæ particulares, in unam tantum Ecclesiam coalescunt.

Dices 1<sup>o</sup>. In Ecclesia Catholico-Romana maxima est circa doctrinam dissensio; aliud Thomistæ, aliud Augustiniani, aliud Molinistæ sentiunt et docent; ex iis etiam nonnulli alios accusant quasi fidei integritatem violaverint; ergo in Ecclesia Catholico-Romana non reperitur fidei unitas.

Resp. Neg. conseq. Unitas enim fidei, ut jam diximus, à privatorum opinionibus non repetenda est; verum ex publicis symbolis et fidei professionibus; atqui, licet Doctores Catholici variis distraherentur placitis, in eo tamen sunt concordantes, quod idem Symbolum, eandemque fidei professionem teneant. Præterea suas opiniones universalis Ecclesiæ judicio subjiciunt, et ita sunt animo comparati, ut eas abjicerent, si à supremo illo controversiarum iudice damnarentur.

Dices 2<sup>o</sup>. A Conciliis œcumenicis Constantiensi et Basileensi definitum fuit Concilium generale esse Romano Pontifice superius. Illud decretum admittunt Galli et rejiciunt Ultramontani, in iis igitur quæ à Synodis œcumenicis definita sunt, inter se non concordant Catholico-Romani, ac proinde vanam unitatis larvam ostentant.

Resp. Merito quidem contendunt Galli œcumenicas esse Synodos Constantiensem et Basileensem, ab iisque definitum fuisse Concilium generale Romano Pontifici autoritate præstare: id verò negant Ultramontani. Qua ex controversia contigit, ut Conciliorum Basileensis et Constantiensis decretum vim non habeat articuli fidei Catholicæ.

## PARAGRAPHUS III.

## De Sanctitate Ecclesiæ.

Notandum est 1<sup>o</sup>. veræ Christi Ecclesiæ propriam esse sanctitatem; *Christus enim dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* ( *Ephes. 5. 25.* ) Prorsus igitur immerito veræ Ecclesiæ titulo gloriatur societas aliqua, si ab ea sanctitatem exulare probatum fuerit.

2<sup>o</sup>. In Ecclesia militante eam non reperiri sanctitatem, quæ omnis maculæ sit expers. Ejusmodi enim sanctitas felicissimum est solius Ecclesiæ triumphantis privilegium: nullum quippe est Ecclesiæ militantis membrum, in quo locum non habeat illud Apostoli dictum: *Sidixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* ( *1. Joan. cap. 1. v. 8.* )

3<sup>o</sup>. Ecclesiam non eo sensu sanctam esse, quod singula illius membra sanctitate prædita sint: namque in ea, ut ait Augustinus, *mali mixti sunt bonis.* ( *In Psal. 128. n. 8.* ) At sancta merito dicitur, tum ratione sui capitis, scilicet Christi, à quo, tanquam à fonte, derivatur omnis sanctitas; tum ratione professionis suæ: eam enim fidem, eam doctrinam profitetur, quæ nihil nisi sanctitatem spirant et commendant; tum ratione sanctitatis, ad quam singula ipsius membra vocantur et invitantur, juxta illud Apostoli: *Omnibus qui sunt Romæ, . . . vocatis sanctis.* ( *Rom. 1. 7.* ) tum maxime propter internam sanctitatem, quæ non omnia quidem, sed multa ejus membra ornantur: cum enim *melior sit unus timens Deum, quam mille filii impii,* ( *Eccli. 16. 3.* ) Ecclesia appellatur sancta, propter sanctos filios, quos in suo sinu complectitur: nam unaquæque res à meliori et excellentiori parte denominatur, juxta vulgare effatum.

Quænam autem societas Christiana grandem hunc titulum sibi merito vel immerito vindicet, nunc statuendum est.

## PROPOSITIO I.

*Nulla, vel Orientalium, vel Occidentalium societas ab Ecclesia Romana separata sanctitatem habet.*

Prob. 1<sup>o</sup>. Orientales et Occidentales ab Ecclesia Romana segregatos, jam Schismatis reos probavimus: atqui eo ipso sanctitatem non habent: sanctitas enim sine caritate stare non potest: atqui societas illæ à caritate exciderunt, unitatis vincula dirumpendo. Schismatis enim crimen ita cum caritate pugnat, ut cum ea conciliari nequaquam possit. Hinc S. Ignatius Martyr sic admonet: *Fugite divisionem unitatis: nolite errare, fratres. Quicumque enim separatum à veritate fuerit secutus, Regnum Dei non hæreditabit.* ( *Ep. ad Philadelph. n. 2. et 3. Edit. Cleric. an. 1700. tom. 2. pag. 155. col. 2.* ) Præterea illud crimen caritatem extinguit, quod inter gravissima numerarunt sancti Patres: atqui sancti Patres schisma, ut gravissimum scelus, detestati sunt; siquidem nullam esse posse solvendæ unitatis justam necessitatem asserunt, quorum omnium instar sit Augustinus: *Præscindendæ, inquit, unitatis nulla est justa necessitas.* ( *Lib. 2. contra epist. Armeniani, cap. 11. n. 25.* ); ergo Orientalium et Occidentalium societates, à Romana Ecclesia separatæ, propter Schismatis crimen, caritate simul et sanctitate carent.

Prob. 2<sup>o</sup>. Specialiter de Pseudo-Reformatorum sectis: illa societas, ne levissima quidem, habet sanctitatis signa, cujus doctrina moralis omnibus vitiis aditum aperit: atqui hujusmodi est Pseudo-Reformatotum doctrina moralis: nam 1<sup>o</sup>. in ipsâ Synodo Dordracena docent cum criminibus, etiam horrendis, justitiam posse consistere; eam ab elec-

tis non amitti, etiamsi adulterio homicidium junxerint, ut David, vel Christum abnegaverint, ut Petrus; uno verbo, solam incredulitatem damnare. 2°. Volunt nulla lege humana, sive Civili, sive Ecclesiastica, fidelium conscientias obligari. *Omnium hominum potestate*, inquit Calvinus, *exemptas esse conscientias constituimus.* ( *Lib. 3. Inst.* ) cap. 19. n. 14.) 3°. Monachos à votis solemnibus liberos faciunt, Presbyteros à cœlibatûs lege, laicos à jejuniis, ab operibus satisfactoriis, à confessionis auricularis præcepto, etc. atqui hæc omnia tradere, nihil aliud est, quam vitiorum omnium repagula subvertere; ergo Pseudo-Reformatorem doctrina moralis, nedum sanctitatem juvet, ipsi plurimum nocet, et criminibus viam sternit,

Præterea eorum luminum societas sanctitatem non habet, qui eam amisere, priusquam à nobis discederent, nec illam postea recuperârunt: atqui sanctitatem amisere Pseudo-Reformati, etc. 1°. Quidem à sanctitate exciderant. Nam, ipsi, fatentibus, antequam sese ab Ecclesia Romana segregarent, iisdem ac nos criminibus implicati fuerant; id est, Sanctos invocaverant, Missæ sacrificio adfuerant, species Eucharisticas adoraverant, etc. atqui hæc omnia ipsissima sunt crimina, propter quæ nostram communionem detestantur, et nos à vera fide et Religione excidisse dicunt; ergo 1°. et ipsi sanctitatem perdiderant, cum à nobis recessere. 2°. Amissam non recuperârunt sanctitatem; eam enim recipere non potuerunt, nisi sese adjunxerint alicui societati, quæ vera sit Ecclesia; siquidem extra veram Ecclesiam, quæcumque illa sit, sanctitas nec datur, nec restituitur: atqui Pseudo Reformati, cum ab Ecclesia Romana descivere, nullam aliam adierunt societatem, sed novam instituerunt, ut Calvinum confiteri, jam diximus; ergo 2°. perditam apud nos sanctitatem non recuperârunt; ergo, etc.

Dices: Multos videre est Protestantos, qui inter-

gerimam agunt vitam, qui precibus laudibusque divinis assidue vacant, qui copiosas largiantur eleemosynas; ergo et apud ipsos reperitur vitæ sanctitas.

Resp. cum Augustino: *Quisquis à Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habet vitam; sed iræ Dei manet super eum.* ( *Epist. 141. n. 5.* ) Et cum sancto Fulgentio jam laudato: *Firmissimè tenet . . . quemlibet hæreticum, sive Schismaticum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.* ( *Lib. de fide ad Petrum, cap. 39. n. 80.* ) Quantumvis igitur bona videantur nonnullorum Protestantium opera; quia tamen et vera fide carent, utpote Hæretici, et caritate, quatenus Schismatici, inde sincera exurgere non potest sanctitas.

### PROPOSITIO II.

*Sola Ecclesia Catholico-Romana habet sanctitatem.*

Prob. 1°. Vera Christi Ecclesia perire non potest, ut fatentur, tum Catholici, tum Hæretici, et postea probabimus; necesse est igitur, ut aliqua ex hodiernis societatibus vera sit Christi Ecclesia, ac proinde sancta: atqui ex his nulla est, præter Ecclesiam Romanam, quæ cum aliqua veri specie, sanctitatem sibi possit arrogare: si quæ enim sit, vel erit Orientalium, vel Protestantium societas: atqui neque Orientalium neque Protestantium societas sanctitatem retinet; ut modo demonstravimus; ergo superest, ut ad solam Ecclesiam Catholico-Romanam pertineat hæc prærogativa.

Prob. 2°. Ecclesiæ nascenti datus est Spiritus

Sanctus, qui ab ea nunquam recederet, ut omnes consentiunt; quæ igitur societas eadem est ac Ecclesia nascens, hæc Spiritum Sanctum apud se retinet, semperque habitura est: atqui sola societas Catholico-Romana eadem est, ac Ecclesia primorum temporum. Cum enim manifestum sit illam unitatis vincula nunquam rupisse, et ab eâ per Schisma et Hæresim discessisse, quotquot extiterunt sectæ, patet ipsam iis omnibus antiquiorem esse, eandemque, non interrupta Pontificum successione, cum ea Ecclesia conjungi, quæ per Apostolos fundata est; ergo sola Spiritum sanctitatis habet, qui apud eam in perpetuum mansurus est.

Prob. 3<sup>o</sup>. Duplex est sanctitas Ecclesiæ necessaria; alia scilicet doctrinæ, alia vitæ: atqui utraque reperitur in Ecclesia Catholico-Romana. 1<sup>o</sup>. Quidem sanctitas doctrinæ, tum dogmaticæ, tum moralis; nihil enim credendum proponit, nisi quod vel in Libris canonicis continetur, vel constanti ac perpetua traditione ad nos usque fideliter transmissum est; nihil faciendum præscribit, nisi quod à Christo, Apostolis, sanctisque Patribus traditum fuit; ad omnem virtutem hortatur, et ab omni vitio, etiam levissimo, quantum in se est, suis præceptis deterret; ergo 1<sup>o</sup>. etc.

2<sup>o</sup>. In Ecclesia Catholico-Romana elucet vitæ sanctitas; splendidum enim illud sanctitatis decus, quod priorum temporum Ecclesiam illustravit, in nostram refunditur, modo demonstrari possit, ipsam eandem esse Ecclesiam et communionem, quæ sex prioribus seculis tot virtutibus enituit; atqui id facile de Ecclesia Catholico-Romana demonstrari potest, ut ex dicendis constabit: manifestum quippe est, in eadem nos communionem versari, in qua vixerunt sancti Patres, v. g. Basilii, Ambrosii, Augustini, et aliorum Ecclesiæ lumina et ornamenta; ii enim omnes, pro suæ

communione centro, Sedem Petri agnoscebant; atqui in ea etiam communionem vivimus, quæ eandem Petri Sedem tanquam unitatis centrum, veneratur; ergo in eadem societate permanemus, in qua floruerunt priorum seculorum sanctissimi homines; ergo nostra sibi Ecclesia merito vindicat ea sanctitatis prodigia, quæ priora Ecclesiæ tempora tantopere commendant.

Deinde diversis seculis subsequentibus, etiam postquam à nobis luctuoso schismate discesserunt Pseudo-Reformati, in Ecclesia Catholico-Romana extiterunt homines eximia sanctitate illustres, quam Deus veris miraculis testatam voluit; tales sunt Carolus Borromeus, Franciscus Salesius, etc.; Præsules prioribus Ecclesiæ seculis dignissimi; alios etiam habuit Apostolos ardentissimo annuntiandi Evangelii studio incensos, qui fundatas in extremis Indiarum partibus Ecclesias suo sanguine irrigarunt. Ii autem Sanctorum catalogo inscripti sunt; quod fieri non solet sine miraculis, in quibus explorandis tanta adhibetur diligentia ut si omnibus, tanquam spuris, fides negetur, admittendus sit pyrrhonismus historicus.

Unde sic argumentor: ista miracula vel eo spectarunt, ut doctrinam confirmarent, quam Borromeus, Franciscus Salesius populis tradidit; tuncque vera et sancta est Ecclesiæ Romanæ fides quam prædicarunt; vel ista miracula eo pertinere, ut sanctitatem piis his viris propriam testarentur; tuncque certum est ipsos veram habuisse fidem: *Sine fide enim impossibile est placere Deo*; (Hebr. 11. 6.) ergo Sancta etiam est Romanæ Ecclesiæ fides quam constanter professi sunt.

Ad declinandam hujus argumenti vim, non dicant Protestantes divina non esse hujusmodi miracula, sed dæmonibus tribuenda; Deistis enim arma subministrarent. Cum scilicet ipsis obicerentur stupenda miracula, quibus splendescit et nititur Religio Christiana, in promptu foret res-

ponsum: hæc miracula, inquit, non à Deo, verum à dæmonibus prodierunt. Divina igitur esse miracula, quæ in Ecclesiæ Romanæ gremio à piis viris edita sunt, fateantur Protestantes necesse est, nisi à se ipsis proditam velint Religionis Christianæ causam.

*Solvuntur objecta.*

Obj. 1<sup>o</sup>. Negat Augustinus credendum esse Donatistis, etiam miracula in causæ suæ gratiam proferentibus, eosque per contemptum vocat *Mirabilios*; (*Tract. 13. in Joan. tom. 3. pag. 398. n. 17. tom 3. part. 2.*) ad probandam igitur Ecclesiæ sanctitatem, nullius momenti sunt miracula.

Resp. Dist. ant. Negat Augustinus credendum esse Donatistis, etiam miracula proferentibus; quia falsa erant, conc. quia generatim rejicit probationem à miraculis petitam, neg.

Porro S. Doctor probationem ex miraculis quæ allegabant Donatistæ petitam non spernit, nisi quia falsa erant. Ipsius mentem apertè indicant ista verba: *Nemo, inquit, vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; et Donatus oravit, et respondit ei Deus de Cælo; . . . aut falluntur, aut fallunt.* (*Ibid.*) Argumentum autem ex veris miraculis deductum non sprevisse Augustinum indè patet, quod multa Paganis opponat, quæ ad Sanctorum, et præcipue S. Stephani, reliquias edita fuerant. (*Lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8.*) Denique inter ea quæ ipsum in Ecclesiæ Catholicæ sinu retinebant, miraculorum autoritatem recenset: *Multa sunt alia quæ in ejus (Catholicæ Ecclesiæ) gremio me justissime teneant. Tenet consensus populorum, . . . tenet autoritas miraculis inchoata.* (*Lib. cont. Epist. fundament. cap. 4. tom 8. pag. 153.*)

Inst. S. Doctor contra Donatistas ita scribit: *Uru ipsi Ecclesiam teneant, non nisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant, quia nec nos propterea diximus, nobis credi oportere, quod la*

*Ecclesia Christi sumus, quia . . . in locis sanctis quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia . . . fiunt, ut ut latentia per tot annos corpora Martyrum . . . Ambrosio fuerint revelata, et ad ipsa corpora cæcus multorum annorum, civitati Mediolanensi notissimus, oculos lumenque receperit.* (*Lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 19. tom. 9. pag. 373.*)

Unde sic: S. Doctor non modo rejicit argumentum quod Donatistæ ex fictitiis miraculis deducebant; sed etiam declarat se in gratiam Ecclesiæ Catholicæ non allegaturum vera quæ in ipsius communione edita fuerant miracula; ergo non censuit ex miraculis certum erui posse in gratiam Ecclesiæ argumentum.

Resp. Neg. conseq. Id unum ex objecto S. Doctoris loco inferri potest, scilicet eum noluisse controversiam de Ecclesiæ cum Donatistis motam per miracula dirimere. Quam autem ob causam? quia alia erat via magis compendiosa, nempe Scripturarum autoritas. Sensit enim Doctor acutissimus, litem hanc ex miraculis adjudicari non potuisse, quin prolixiore et implicatior fieret disceptatio. Miracula quippe hinc et inde allegata excutere, ea quæ à Catholicis proferebantur cum iis quæ venditabant Donatistæ conferre, alia vera, et alia ficta esse ostendere necesse fuisset. Missis igitur tot ambagibus, aliam breviorē tot expediendæ quæstionis rationem arripit Augustinus. Ad Scripturas nimirum provocat, de quarum autoritate Catholicos inter et Donatistas pariter conveniebat. *Ecclesiam suam, inquit, demonstrent, si possint, . . . non in signis et prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verba Domini præparati et cauti redditi sumus; sed . . . in canonicis Sanctorum librorum autoritatibus.* (*Ibid. n. 47. pag. 371.*) Argumentum verò ex miraculis depromptum non fuisse à S. Doctore contemptum, patet ex supra dictis.

Obj. 2<sup>o</sup>. Statuit Concilium Tridentinum, nulla admittenda esse nova miracula, nec novas Reli-

quas recipiendas, nisi recognoscente et approbante Episcopo. (Sess. 25. de invocat. venerat. et Reliq. etc.) Itaque ex Concilio Tridentino, nulla sunt admittenda miracula, quin præcesserit Ecclesiæ iudicium; ergo miracula per Ecclesiam potius demonstrantur, quam Ecclesia per miracula.

Resp. Dist. ant. Ante iudicium Ecclesiæ nulla sunt admittenda miracula, quibus fundetur cultus Sanctis aut Reliquiis exhibendus, conc. ant. quasi miracula suam omnem certitudinem ex iudicio Ecclesiæ mutuentur, neg. ant.

Ea fuit Concilii mens, ut ante Episcopi approbationem nulla debeant admitti nova miracula, quibus fundetur cultus Sanctis aut sacris Reliquiis et imaginibus adhibendus. Quod sapienter constitutum fuit, ut scilicet variis quæ alioquin irreperent superstitionibus occurratur. Nequaquam verò significatum voluit sancta Synodus, nulla miracula esse certa, nisi præcesserit Episcopi approbatio. Profectò enim noverat quædam esse miracula, humanis testimoniis sic firmata, ut ante quodlibet Ecclesiæ iudicium, certam fidem sibi vindicent.

Obj. 3°. In Ecclesia Romana plures sunt mali quam boni; ergo potius dicenda est mala, quam sancta.

Resp. Neg. conseq. Denominatio non semper à majori, sed à nobiliori societatis alicujus parte desumitur. Sic opulenta nuncupari solet civitas, quia multos continet divites, quamvis in ea longe plures sint inopes; cur ergo sancta non vocaretur Ecclesia ob præstantiora ipsius membra, quæ veram sanctitatem non solum profitentur, sed etiam habent? Quandiù præcipua corporis membra, cor et caput, vitam retinent, nonne totus homo dicitur vivere, licet vitâ destituantur cetera membra?

Præterea non tantum in suis nobilioribus membris sancta dicitur Ecclesia; sed etiam ratione tum sui finis, qui nihil aliud est, quam gloria Dei, æternaque populorum felicitas; tum Sacramento-

rum per quæ, tanquam efficacia gratiæ divinæ instrumenta, Deus veram confert sanctitatem; tum suæ doctrinæ, quæ nihil nisi pium et sanctum spirat.

Obj. 4°. In Ecclesia Romana innumeri pullulant Casuistæ, qui adulterium, furtum, calumniam, homicidium, aliaque crimina permetterent; ergo sancta prorsus immerito dicitur.

Resp. Neg. conseq. Quamvis enim in Ecclesia fuerint, et magno numero esse possint homines, quorum falsa, impia et perniciosa sit doctrina; ea tamen privatis tantum quibusdam tribuenda est, non vero ipsi Ecclesiæ, quæ doctrinam hanc non probat, sed detestatur. Sic moliorum Casuistarum placita, quæ disciplinæ morali tantum vulnus infligere, variis censuris insectati sunt Romani Pontifices et Episcopi.

### PARAGRAPHUS III.

#### De Catholicitate Ecclesiæ.

Ecclesiam debere esse Catholicam, id est, juxta vim nominis, universalem, nemo diffitetur Christianus. At hujus universalitatis non omnes eandem sibi finxerunt notionem. Quo sensu eam intellexerint Donatistæ, discimus ex Augustino: *Acutum, inquit, aliquid tibi videris dicere, cum Catholicæ nomen non ex totius orbis communionem interpretaris, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum, atque omnium Sacramentorum.* (Epist. 93. n. 23.) Recentiores autem Heterodoxi Ecclesiam eo sensu dicunt Catholicam, quod doctrinam ejus omnes amplecti debeant; illæ autem duæ notiones non in eo peccant, quod falsum enuntiant; sed quod Ecclesiæ Catholicitatem nimium coarctent, nec satis expriment.

Quapropter Catholici rem aliter explicant; sed ut mens eorum clarius innotescat, duplex distina-